Junta de Castilla y León

Consejería de Educación

PROCEDIMIENTOS SELECTIVOS DE INGRESO Y ACCESO Y ADQUISICIÓN DE NUEVAS ESPECIALIDADES EN LOS CUERPOS DE PROFESORES DE ESCUELAS OFICIALES DE IDIOMAS

Orden EDU/246/2018 de 2 de marzo de 2018, de la Consejería de Educación (BOCyL de 7 de marzo)

0590 – CUERPO DE PROFESORES DE ENSEÑANZA SECUNDARIA
003 – LATÍN

SEGUNDA PARTE:

Prueba práctica. Consistirá en tres ejercicios de traducción:

- Un texto en prosa para su traducción sin diccionario de la obra " La Guerra de Yugurta" de C. Salustio Crispo

- Un texto en prosa para su traducción con diccionario y comentario sintáctico-estilístico, sociocultural o histórico de la obra "Filípicas" de Marco Tulio Cicerón.

- Un texto en verso para su traducción con diccionario y comentario fonético-morfológico y métrico de la obra " Metamorfosis" de Publio Ovidio Nasón.

OVIDIO

et precibus spretis fugisse per auia nympham
donec harenosi placidum Ladonis ad amnem
uenerit; hic illam cursum impedientibus undis
ut se mutarent liquidas orasse sorores;
Panaque, cum prensam sibi iam Syringa putaret,
corpore pro nymphae calamos tenuisse palustres;
dumque ibi suspirat, motos in harundine uentos
effecisse sonum tenuem similemque querenti;
arte noua uocisque deum dulcedine captum
'hoc mihi conloquium tecum' dixisse 'manebit'
atque ita disparibus calamis compagine cerae
inter se iunctis nomen posuisse puellae.
talia dicturus uidit Cyllenius omnes
succubuisse oculos adopertaque lumina somno.
supprimit extemplo uocem firmatque soporem,
languida permulcens medicata lumina uirga;
nec mora, falcato nutantem uulnerat ense
qua collo est confine caput, saxoque cruentum
deicit et maculat praeruptam sanguine rupem.
Arge, iaces, quodque in tot lumina lumen habebas
exstinctum est centumque oculos nox occupat una.
excipit hos uolucrisque suae Saturnia pennis
conlocat et gemmis caudam stellantibus implet.
  Protinus exarsit nec tempora distulit irae,
horriferamque oculis animoque obiecit Erinyn
paelicis Argolicae stimulosque in pectore caecos

701–26 *HMNU BFGLP*

710 colloquium *M(S)* L^{3m}: consilium Ω (solatium *BG*): conc- χ 712 posuisse *scripsi, cf. Verg. Aen.* 7. 63: tenuisse Ω (*ex* 706): tribuisse *Waddel* (*teste Magno*), *cf.* 14. 621: mansisse *Gryphius* (*e cod.?*), *cf.* 11. 795 719 rupem] cautem χ: ueprem *Postgate* 720 in tot *Ω* $BGP^{c?}$: inter tot $(M^{ac})(N^{ac})H^{c}$: inter $H^{ac}M^{c}N^{c}(S)$ *FL* 722 hos] hunc HMN^{ac} *G*

condidit et profugam per totum exercuit orbem.
ultimus immenso restabas, Nile, labori;
quem simul ac tetigit, positisque in margine ripae
procubuit genibus resupinoque ardua collo,
quos potuit solos, tollens ad sidera uultus
et gemitu et lacrimis et luctisono mugitu
cum Ioue uisa queri finemque orare malorum.
coniugis ille suae complexus colla lacertis
finiat ut poenas tandem rogat 'in'que 'futurum
pone metus'; inquit 'numquam tibi causa doloris
haec erit'; et Stygias iubet hoc audire paludes.
ut lenita dea est, uultus capit illa priores
fitque quod ante fuit. fugiunt e corpore saetae,
cornua decrescunt, fit luminis artior orbis,
contrahitur rictus, redeunt umerique manusque,
ungulaque in quinos dilapsa absumitur ungues;
de boue nil superest formae nisi candor in illa.
officioque pedum nymphe contenta duorum
erigitur metuitque loqui, ne more iuuencae
mugiat, et timide uerba intermissa retemptat.
  Nunc dea linigera colitur celeberrima turba;
nunc Epaphus magni genitus de semine tandem
creditur esse Iouis perque urbes iuncta parenti
templa tenet. fuit huic animis aequalis et annis
Sole satus Phaethon, quem quondam magna loquentem
nec sibi cedentem Phoeboque parente superbum
non tulit Inachides 'matri'que ait 'omnia demens

727–53 *HMNU BFGLP*

727 exercuit *Postgate, cf. Aesch.* (?) *PV* 585 *sqq.*: circuit $H(N^{ac})$: concitat *f p*: terruit Ω 733 queri] q. est *LP*: loqui N^{1}: l. est *U* 739 e *H MNU*: de *U* Σ 742 *om.* $HM^{ac}N^{ac}$ 747 linigera *H FP*: lanigera F^{ac}: niligera $M^{1}N^{1}U$ B^{ac}: niligena M^{2} $B^{2c}L$ *post* 747 *liber secundus in M* v_2 W^{1-2} 748 nunc] hinc $NU\ F^{2}L^{c}$: tunc *h*: huic χ (*Heinsius*) 752 credentem $HM^{ac}N^{ac}$

COMISIÓN DE SELECCIÓN LATÍN DIRECCIÓN PROVINCIAL DE EDUCACIÓN CONSEJERÍA DE EDUCACIÓN JUNTA DE CASTILLA Y LEÓN

CICERÓN

interponendam insequendi M. Antonium putavi, hominemque audacissimum qui multis nefariis rebus ante commissis hoc tempore imperatorem populi Romani oppugnaret, coloniam vestram fidissimam fortissimamque obsideret, bello censui persequendum: tumultum esse decrevi; iustitium edici, saga sumi dixi placere, quo omnes acrius graviusque incumberent ad ulciscendas rei publicae iniurias, si omnia
3 gravissimi belli insignia suscepta a senatu viderent. Itaque haec sententia, Quirites, sic per triduum valuit ut, quamquam discessio facta non esset, tamen praeter paucos omnes mihi adsensuri viderentur. Hodierno autem die spe nescio qua eis obiecta remissior senatus fuit. Nam plures eam sententiam secuti sunt ut, quantum senatus auctoritas vesterque consensus apud Antonium valiturus esset, per legatos experiremur.

2 Intellego, Quirites, a vobis hanc sententiam repudiari, neque iniuria. Ad quem enim legatos? ad eumne qui pecunia publica dissipata atque effusa per vim et contra auspicia impositis rei publicae legibus, fugata contione, obsesso senatu, ad opprimendam rem publicam Brundisio legiones arcessierit, ab eis relictus cum latronum manu in Galliam inruperit, Brutum oppugnet, Mutinam circumsedeat? Quae vobis potest cum hoc gladiatore condicionis,
4 aequitatis, legationis esse communitas? Quamquam, Quirites, non est illa legatio, sed denuntiatio belli nisi paruerit: ita enim est decretum ut si legati ad Hannibalem mitterentur. Mittuntur enim qui nuntient ne oppugnet consulem designatum, ne Mutinam obsideat, ne provinciam depopuletur, ne dilectus habeat, sit in senatus populique Romani potestate. Facile vero huic denuntiationi parebit, ut in

1 M. Antoni *coni. Müller* 5 decerni *ed. R* 9 Quirites *Faernus*: quam *V* 10 non esset] *fort.* non est (*variam lectionem* non est *add.* V^1 *post* dies) homines omnes *V* 11 die, spe nescio qua eis obiecta *Jeep* (pacis *pro* eis *Bücheler*): dies non est pene. scio quaeis obiectarem *V*: die nescio qua obiecta re *Poggius* 13 vestraeque *V*: *corr. Poggius* 21 accerserit *V*: *cf. Neue* iii. *p.* 393 25 denuntiatione *V*: *corr. Poggius* 27 denuntient *Pluygers*

patrum conscriptorum atque in vestra potestate sit, qui in sua numquam fuerit! Quid enim ille umquam arbitrio suo fecit? Semper eo tractus est quo libido rapuit, quo levitas, quo furor, quo vinolentia; semper eum duo dissimilia genera tenuerunt, lenonum et latronum; ita domesticis stupris, forensibus parricidiis delectatur ut mulieri citius avarissimae paruerit quam senatui populoque Romano. Itaque quod 3
paulo ante feci in senatu, faciam apud vos. Testificor, denuntio, ante praedico nihil M. Antonium eorum quae sunt legatis mandata facturum; vastaturum agros, Mutinam obsessurum, dilectus qua possit habiturum. Is est enim ille qui semper senatus iudicium et auctoritatem, semper voluntatem vestram potestatemque contempserit. An ille id faciat quod paulo ante decretum est ut exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis est Galliae, educeret, dum ne propius urbem Romam cc milia admoveret? Huic denuntiationi ille pareat, ille se fluvio Rubicone *et* cc milibus circumscriptum esse patiatur? Non is est Antonius; nam 6
si esset, non commisisset ut ei senatus tamquam Hannibali initio belli Punici denuntiaret ne oppugnaret Saguntum. Quod vero ita avocatur a Mutina ut ab urbe tamquam pestifera flamma arceatur, quam habet ignominiam, quod iudicium senatus! quid, quod a senatu dantur mandata legatis ut D. Brutum *milites*que eius adeant eisque demonstrent summa in rem publicam merita beneficiaque eorum grata esse senatui populoque Romano eisque eam rem magnae laudi magnoque honori fore? Passurumne censetis Antonium introire Mutinam legatos, exire inde tuto? Numquam patietur, mihi credite. Novi violentiam, novi impudentiam, novi audaciam. Nec vero de illo sicut de homine 7
aliquo debemus, sed ut de importunissima belua cogitare.

2 enim *om. Cus.* suo *om. Cus.* 3 est *Halm*: et *V* 4 violentia *codd. Ferrarii* (*cf.* § 6 *et* ii. 68) 15 Rubiconem *in mg. hic habet V, sed infra* § 10, *ubi hic locus iterum legitur, in textu* 17 et *Faernus*: *om. V in ras.* 24 militesque *Poggius*: que *V* 25 suma *V* 29 violentiam *Naugerius* (1): vinolentiam *V*

JUNTA DE CASTILLA Y LEÓN
CONSEJERÍA DE EDUCACIÓN
DIRECCIÓN PROVINCIAL DE EDUCACIÓN DE ZAMORA
LATÍN
COMISIÓN DE SELECCIÓN

Junta de Castilla y León
Consejería de Educación

SALUSTIO

circumuenire: ita Iugurtham aut praesidiis nudatum ⟨iri⟩,
5 si ea pateretur, aut proelio certaturum. Nam Bocchus
nuntios ad eum saepe miserat: uelle populi Romani
6 amicitiam; ne quid ab se hostile timeret. Id simulaueritne,
quo inprouisus grauior adcideret, an mobilitate ingeni
pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est.
89 Sed consul, uti statuerat, oppida castellaque munita adire,
partim ui, alia metu aut praemia ostentando auortere ab
2 hostibus. Ac primo mediocria gerebat, existumans Iugur-
3 tham ob suos tutandos in manus uenturum; sed ubi illum
procul abesse et aliis negotiis intentum accepit, maiora et
magis aspera adgredi tempus uisum est.
4 Erat inter ingentis solitudines oppidum magnum atque
ualens nomine Capsa, quoius conditor Hercules Libys
memorabatur. Eius ciues apud Iugurtham inmunes, leui
imperio et ob ea fidelissumi habebantur, muniti aduorsum
hostis non moenibus modo et armis atque uiris, uerum
5 etiam multo magis locorum asperitate. Nam praeter
oppido propinqua alia omnia uasta, inculta, egentia aquae,
infesta serpentibus, quarum uis sicuti omnium ferarum
inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium ipsa perni-
6 ciosa siti magis quam alia re adcenditur. Eius potiundi
Marium maxuma cupido inuaserat, quom propter usum
belli, tum quia res aspera uidebatur et Metellus oppidum
Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm
munitumque, nisi quod apud Thalam non longe a moeni-
bus aliquot fontes erant, Capsenses una modo atque ea
7 intra oppidum iugi aqua, cetera pluuia utebantur. Id
ibique et in omni Africa quae procul a mari incultius
agebat eo facilius tolerabatur quia Numidae plerumque

1 iri *suppl. Meiser*: ⟨fore⟩ *Prammer* 5 accideret (*ex* -erat *P*) $\alpha N^1 F$: acced- $A^2 \beta N^2 KHD$ 6 atque] aut ϵ 7 constituerat $\delta\epsilon$ 14 libys] lybis $PA^2 C\delta F$: libis HD: lybies A^1: libris B 20 quorum $A^2 B^1 CH^1$ 21 ipsa *om.* γ 25 thala γ … $A^2 \beta K^2 H^2 D^2$: ubique αY

lacte et ferina carne uescebantur et neque salem neque alia
inritamenta gulae quaerebant: cibus illis aduorsum famem 8
atque sitim, non lubidini neque luxuriae erat.
Igitur consul omnibus exploratis, credo dis fretus, nam 90
contra tantas difficultates consilio satis prouidere non
poterat—quippe etiam frumenti inopia temptabatur, quia
Numidae pabulo pecoris magis quam aruo student et
quodcumque natum fuerat iussu regis in loca munita
contulerant, ager autem aridus et frugum uacuos ea
tempestate, nam aestatis extremum erat—tamen pro rei
copia satis prouidenter exornat. Pecus omne quod superi- 2
oribus diebus praedae fuerat equitibus auxiliariis agun-
dum adtribuit, A. Manlium legatum cum cohortibus
expeditis ad oppidum Laris, ubi stipendium et conmea-
tum locauerat, ire iubet dicitque se praedabundum post
paucos dies eodem uenturum. Sic incepto suo occultato 3
pergit ad flumen Tanain. Ceterum in itinere cotidie pecus 91
exercitui per centurias, item turmas aequaliter distribue-
rat, et ex coriis utres uti fierent curabat: simul inopiam
frumenti lenire et ignaris omnibus parare quae mox usui
forent. Denique sexto die, quom ad flumen uentum est,
maxuma uis utrium effecta. Ibi castris leui munimento 2
positis milites cibum capere atque, uti simul cum occasu
solis egrederentur, paratos esse iubet, omnibus sarcinis
abiectis aqua modo seque et iumenta onerare. Dein, 3
postquam tempus uisum, castris egreditur noctemque
totam itinere facto consedit; idem proxuma facit; dein
tertia, multo ante lucis aduentum, peruenit in locum
tumulosum ab Capsa non amplius duum milium inter-
uallo, ibique quam occultissume potest cum omnibus
copiis opperitur. Sed ubi dies coepit et Numidae nihil 4

2 cibus ⟨et potus⟩ *Meiser* 3 libidine $P^1 A^1$ 6 quia] quod γ 13 manilium … $A^1 B^2 N$ 15 dicetque $P^1 A^1$ 17 tanain αF: … *rell.* 19 simul $P\beta\delta$: simul et γ: statim A … $A^2 \beta$: item $A^1 \delta$: idemque γ proxima nocte $A^2 C^2 H^2 \epsilon$

JUNTA DE CASTILLA Y LEÓN
CONSEJERÍA DE EDUCACIÓN
DIRECCIÓN PROVINCIAL DE EDUCACIÓN DE ZAMORA
LATÍN
COMISIÓN DE SELECCIÓN